ACHILLIS Statij Lusitani Syl-
uæ aliquot vna cum duo
BVS HYMNIS CALLIMA
chi eodem carminis genere ab eo latinè redditis.



PARISIS.
Apud Thomam Richardum, sub Bibliis aureis, è regione collegij Remensis.
1549.

Achilles Statius Lodouico
PRINCIPI CLARISSIMO,
Regis Emanuelis filio
S. P. D.

CVm nuper princeps clarisſime aliquot Syluas(quo ego carminis genere impenſè delector)ſcripſiſſem,atque hic multi diu mecum agerent, vt has tametſi nō adeo multas,in vulgus æderem, eorũ ego conſilijs & improbis vocibus tandē victus acquieui. Ex quibus vnam antea ædideram, ſed hác iterum à me recognitam viſum eſt nũc ſimul ædere, tuóque maximè nomini inſcribere: quem ſcio,facto à me olim periculo,hoc etiá ſcribendi genus non in poſtremis amare. Quas enim ipſe literas ignoras? Aut quod ſtudiorum genus nō amas? poſtremi autem omnium in hoc opuſculo ſunt duo hymni Callimachi græci poëtæ, quos nō tanta elegãtia, quãta fortaſſe fidelitate latinos feci. Ac ſunt hi quidē quos accipis princeps clarisſime ocij mei fructus: non enim hæc ſcribo niſi vacuus,& a Theologiæ ſtudijs aliquãtulum feriatus. Idque facio,quo muſas, quas olim puer magno ſtudio colui,etiam nunc grandior, & quidem Theologus, retineam. Qui enim poſſim liberalius & honeſtius feriari, quam me adhuc in his ſtudijs per ociũ exercendo? quę quidē prudentibus & bene inſtitutis (vt inquit Cicero) pariter cum ætate creſcunt. Quod ſi hæc grata tibi fuiſſe intellexero,pergam equidē alacrius ad maiora,quo magis tibi gratificari queá. Vale.

Ad clarissimum Principem
LODOVICVM.

QVi modo prouenit mihi paupere fructus in horto
Cum domino, cupio fiat vt ille tuus.
Nam tibi nostra manus posthac feret optime princeps
Et tibi primitias officiosa dabit.
Tu modo, quem colimus, non magni munus agelli
Accipe, qua placidus cætera fronte soles.
Sunt hæc parua quidem, nec munera principe digna,
Nec (si des) tantos apta subire sinus.
Nam tibi nec tumidam magnis AEneida bellis,
Nec damus Atridas, AEacidas ve feros.
Non etiam, non te mea dat tibi musa legendum,
Hoc opus AEnea est maius & AEacide.
Hæc quoq; Vergilio res est & maior Homero,
Hic posses toto numine Phœbe nihil.
Te quicunque canet princeps Lodoice, togata
Hic cum pace simul bella tubasque canet.
Nam tua tranquillis summa est prudentia rebus:
Et tua fulmen habet, cum mouet arma manus.
Tecum etenim curas Rex inuictissimus omnes
Diuidit, ac fratris ocia frater alis.
Idem etiam tecum pugnat; quotiesque triumphat,
Te socium toties ille triumphus habet.
Sæpe fugat Turcam Ioannes, sæpius Indum
Imperij cogit frena subire sui.
Sæpe Afros, Arabásque domat, peregrináque frangit
Robora, vix orbem, quem petat, hostis habet.

Consilijs tamen ista tuis quoque gloria constat,
Claraque post fratrem fama secunda tua est.
Vincis at hinc absens: quid si, quem nomine solo
Horruit, hic hostis sentiat esse ducem?
Imbelles ponet tunc barbara turba pharetras,
Anxia non pugnæ, sed magis illa fugæ.
Sed prece, sed socijs Rex optimus, vndique curis
Tardat, & hos ignes, quos alis, arte tenet.
Te quia solamen rebus putat omnibus vnum,
Sumit & ex oculis gaudia plena tuis.
O quantum timuit, quantum sine fratre dolebat,
Turbabat Mauras cum tuus ensis opes.
Se nihil admonito cum tu cum Cæsare victor,
Quassabas validæ mœnia Tunetiæ.
Grata tamen Regi fuit hæc audacia fratris,
Nec patiens virtus viuida ferre moras.
Sed medijs aderat curáque animóque periclis,
Ah cupidus charum iam rediisse caput.
Est hæc, est igitur rerum seges ampla tuarum,
Mæonidis quam non Ilias vna capit.
Ergo quid hic sperem princeps clarissime? cuius
Ingenium rebus par nequit esse tuis.
At tibi me, Paulúmque patrem debere fatemur,
Ipse quod ingenio, Marte quod ille potest.
Quippe pater bello dux olim assuetus & armis,
Sæpe tibi victo gratus ab hoste redit.
Hunc Fortuna tamen victorem vinceret, effrons,
Aemula, nec cuiquam fida, coméSue diu.
Hunc tua ni rebus iuuisset dextera fessis,
Dextra salus nostris subsidiúmque malis.

Te vincente, minas fortunæ spernimus omnes,
Stamus & auxilio firmus vterque tuo.
Hoc tantis impar meritis clarissime princeps
Carmen habe, studij signa futura mei.
Nam damus hæc quando vires maiora negarunt,
Tu potius specta, quid potuisse velim.

CUm nuper Suidæ ὀνομαστικὸν *consuluissem, ac logius legēdo progrederer, incidi in quēdam Achillē Statium episcopum, quantū licet colligere, Alexādriensem: eiusdē plane mecū, & nominis & cognominis. Quod cum alioqui perrarum sit, nec inde mihi petisse nomen parētes sciam, libuit hanc* ὁμονυμίαν, *in quam casu incidi, quoquo modo possem, literis illustrare. Adscripsi porro totum locū ex Suida,* ἀχιλλεὺς στάτιος ἀλεξανδρεὺς ὁ γράψας, τὰ κατὰ λευκίππην καὶ κλιτοφῶντα, καὶ ἄλλα ἐρωτικὰ ἐν βιβλίοις η΄, γέγονεν ἔσχατον χριστιανός, καὶ ἐπίσκοπος, ἔγραψε δὲ περὶ σφαίρας καὶ ἐτυμολογίας, καὶ ἱστορίαν σύμμικτον, πολλῶν καὶ μεγάλων καὶ θαυμασίων ἀνδρῶν μνημονεύουσαν, ὁ δὲ λόγος αὐτοῦ κατὰ πάντα ὅμοιος τοῖς ἐρωτικοῖς. *Hoc est, Achilles Statius Alexandriensis Leucippes & Clitophontis amores scripsit, aliaque id genus amatoria libris septem: fuitque postmodum Christianus, atque episcopus, libros de sphæra & Etymologia composuit. Ad hec autem variā de magnorum atque admirabilium virorum gestis historiā cōdidit: eius verò oratio vbique sui similis est, nihilq; ab eo genere abhorrens, quo in scribendis amoribus vtitur.*

Quis me adeo clari socium tibi nominis esse
Magne pater voluit: nam me nō nominis vna
Littera, non vnū tibi me, sed nomen vtrunque
Iūgit, & haud tenui superas me voce, sed vnus
Statius, atque ambo pariter sumus vnus Achilles.
Num quia cognato sequitur te sydere noster
Vultus, & ingenium, naturaque prouida vires
Fudit vtrique pares, mentesque affecit eisdem
Ignibus, ac simili spirare è corpore fecit?
Forsitan hic aliquis superûm, quia corpore vidit
Atque animo similes, ne res discrimina parua
Vlla daret, totidem verbis tua nomina nostris
Dictauit quondam pius ille parentibus, ac te
In me alio functum voluit Deus ille renasci.
Ast heu me miserum, nec enim sic credulus, aut sic
Insanus paria humanis diuina putabo,
Improba sinceris, puris obscœna, Deosque
Sic hominum similes: nam me licet integra tecum
Nomina coniungant, tenuis nec syllaba tantùm
Dissimilem faciat, certe procul imperat esse
Imparitas vitæ: nam te diuina beatum
Conditio iungit superis, vnde arduus omnes
Prospectas medius nitida inter sidera terras,
Atque animo fortasse notas vrbesque, locosque,
In quibus acta pio quondam tibi vita tenore,
Aeternæ meruit cœlestia munera sortis.
Adde quod humanas olim fœlicius artes
Ingeniumque laborque tibi peperere, tuumque

Nomen habet. scriptisque olim procul audijt orbis,
Leucippemque tuam vidit fœlicior ætas,
Et Clitiphonta tuum, quosque olim doctus amores
Lusisti, scripto tantum lascinus amator.
Quin etiam voces, rerumque vocabula, quonam
Fonte cadant, verbisq; vnde est aut spiritus, aut vis
Monstrasti, patuitque tua mole artis origo.
Idem magnorum clarissima facta virorum
Nominibus signata suis, & bella ducesque,
Scripsisti varios, perituraque nomina per te
Illuxere alijs iam non ingloria, per te
Axis vterque Poli nihil hinc transmittit, & inde,
Moliturque nihil subitum: quin ante futuros
Prodideris motus, idem vaga sydera toto
Seruasti cœlo, terrasque emensus & altum
Late animo pelagus, tractúsque sitúsque locorum
Diceris illustri monstrasse volumine, quæ nunc
Forte latent alibi, tenebrisque immersa nitenti
Luce carent, aut, vt iam olim solet inuida, nobis
Hæc rapuit, longaque diu nocte obruit ætas.
Sed neque summus honos summo tibi defuit, aut hoc
Ingenium, aut pietas terras inhonora reliquit.
Cingitur ecce tibi sacra sublime tiara
Ac gemmis illustre caput, datur ecce bacillus,
Quem dextra teneas auro argentóque nitentem,
Quemque geras, Christíque greges moderêre verendus
Antistes, colat Aegyptus, veneretur & illa
Imprimis vrbs, quæ titulis clarissima gaudet
Pellæi ducis, hæc etenim tibi seruat habétque
Vrbs patrios manes, hic te fælicibus ortum

Auſpicijs læti tum nutriuere parentes,
Atque rudem lucis,cælo vitæque gementem
Inſeruere nouæ,ac Nili labentia latè
Flumina monſtrarunt:auidis quippe omnia paruus
Luſtrabas oculis,longóque patentia tractu
Arua,ſuperfuſo ſed quæ ſacer alueus amne
Ac ſparſis beat altus aquis,raróque cadentes
De cælo pluuias vndanti gurgite ſupplet.
Fælix,quem ſequitur tantarum gloria rerum,
Qui meritus totas vnus comprendere laudes,
Vixiſti terris gratus,cælóque receptus
Illuſtri,meritis viuis vicinior aſtris.
Nec ſolitæ deceſsit honos pater alme coronæ,
Sed melius circum radiantibus emicat aſtris,
Aſſurgitque caput nitido gemmantius orbe.
At tu,ſeu Boream ſpectas ſublimior,aut ſi
In medijs habitas potius regionibus Auſtri,
Siue pius gaudes orientem cernere ſolem
Longius,aut mauis nitidus ſupereſſe cadenti,
Quæ te cunque tenet magni plaga lucida cæli,
Inde tuos,inde,oro,oculos huc flecte,tuumque
Aſpice,nec pigeat Stati,pius aſpice Achillem,
Et tua qui terris bis nomina tota relictis
Reddit,in hoc ſimiles placeat tibi fingere mores,
Ac plane tueare tuum,ſic tu eſſe videbor
Sic alius,ſic in me iterum credêre renatus.

DEPLORATIO VIRGINIS Mariæ super paßione Filii.

TE ne ego supplicijs infœlix, te ne flagellis
Heu peperi mater? cuius mihi gaudia partus
Tanta tulit, cui mox naſcenti terra benigno
Arriſit vultu, ac cœlum, fulgentiáque aſtra.
Sed tunc me miſeram, nam tunc breuis illa voluptas
Extitit: heu miſeram me, iam tu mille periclis
Cingebare tener, nec dum creſcentibus annis,
In ſcelus omne ruens, iam tunc inuiderat hoſtis.
Ille dolis quærens quo te Iudæa teneret
Terra loco, quis te, quóue abderet angulus, omni
Sollicitus ratione petens, procul ire coegit
Me pauidam ac te nate ſimul, penituſque repoſtam
Venimus Aegyptum feßi, durúmque tyrannum
Fugimus: heu quoties tremulas mihi ſumptus in vlnas
Nate, quot & quantis exterrita caſibus olim
Expaui toties amißis ſenſibus: & te
Sæpe fouens gremio, lachrymis quoque ſæpe ſolutis.
Sæpe dolens dixi, viuas mihi nate, diuque;
Inque virum creſcas, oro, fiamque, vocerque
Ipſa viri mater, pueri matercula quondam.
Namque tibi melior, ſpero, prouectior ætas
Forſan erit, cunctis infantia quippe periclis
Functa tibi eſt: vtinam viuas mihi nate, diuque.
At nunc cum ſpatiis annorum creuerit ætas,
Et iam terdenis cum ſim tua mater ab annis,
Plenaque cum plena ſperarim gaudia vita,
Eheu nate mihi raperis, miſera, orba, dolore.

Exanimata, heu tristitiæ, lachrymisque relinquor.
Quæ porro inuidia est? quæ iusti culpa? quid ille
Commisit nulli nocuus? quo crimine purus
Ad pænam meus ille, meus producitur agnus?
Illum ego tantillum lactaui mater, in illo
Crimen erat nullum, teneris dum lusit in annis.
Illum ego iam vidi grandem, cunisque relictis
Affantem totas quarta trieteride turbas.
Iam tum erat hic magnus, iam tum admirabilis orbi.
Crimine at hoc factum (testis Iudæa) carebat,
Quæ toties illum pendenti audiuerat ore,
Nunquam maiorem puero sortita magistrum.
Ille mihi ex oculis sese subduxerat olim
Iam tener, hunc dum ipsa amens ac mœsta requiro,
Heu verita, heu nimium ne præda leonibus esset,
Ne ve vrsis, habitant quotquot sub rupibus altis,
Non furto, non incestu est inuentus in vllo
Ille mihi, non vlla reum custodia in altas
Abdiderat tenebras inclusum carcere: at illum
Fessa diu longo cursu, spatiisque viarum,
Inuenio tandem templis tunc læta sub altis
Iam turbas Iudæa tuas, populosque docentem.
O tunc quanta meum, tunc qualia gaudia pectus
Intrarunt, ac te tandem mihi nate, reperto
Quam læta exilij, mox longi oblita doloris.
Sed tibi iam populis grato robustior ætas
Incrementa dabat, niueæ pubescere iam tum
Incepere genæ, ac vultus faciémque decoram
Barba tibi texit, tunc tu vt crescentibus annis
Maior eras, maiora dabas miracula, quæ tu

Paruulus atque tener poteras iam multa dedisse.
Tunc tu non solo populis clarissime nate
Utilis eloquio: quanquam tamen omnia solo
Eloquio poteras, dextra tamen vsus vbique es
Sæpe salutifera, verbo quoque sæpius vsus.
Néue tui quicquam non vtile gentibus esset,
Sæpe tuas vestes vires habuisse salutis
Uidimus, ac solo est lymbo medicatus amictus.
Tu modo languentes nutu, modo voce leuasti,
Idque absens, ipsum hoc herbis medicisque negatum est
Artibus, hoc ipsum facile est tibi nate, tuumque.
Tu quoque naturæ victor, sine lumine natis
Luminibus, plenam lucem lumenque dedisti.
Tu rursum exanimes animans, tu putre, iacensque,
Infossumque diu, sensus animamque refundens,
Nunc per te vegetum reuocasti ad summa cadauer.
Sed nequeo, eheu deficio, eheu nate dolore
Impedior, totique abeunt è corpore sensus.
Senserunt, dicant ingratæ cætera gentes.
His nunc pro meritis referant tibi qualia cernis
Supplicia, ô quouis multo crudelior hoste,
O quauis multo gens tygride sæuior, ô, ô
Durior & scopulis, ô sæua immitior hydra
Barbara gens, ingrata, ferox, sine crimine, nulla
Lege reum, nudum ac mitem traducitis agnum,
Insontémque manu crudeli vrgeris, vt alta
Ocius, vt nudus dependeat arbore, sunt hæc
Illa salutari sunt præmia digna magistro?
Quem tenerum audistis, tenero cui vestra pepercit
Ira, furórque diu, donec sine crimine, donec

Ille ad supplicium tandem maturuit agnus.
At si nescitis, mors est hæc vna duorum,
Hæc matris mors est, & in vno vulnere vulnus
Est geminum, mihi cum nato communia cuncta
Supplicia, ex illo sequitur me, quicquid in illo est.
Ergo ego sola diu sine te dulcissime nate,
Heu sine te viuam? miseram sine nate perire:
Cui sine te vita hæc, haud vita est, cui quoque tecum
Mors ipsa, haud mors est, sed vita, heu nate relinquor,
Heu sine te nate, heu orba, eheu mœsta relinquor.

EVCHARISTICON AD DOMInum Ioannem à Portugallia.

Si pietas alterna feris, & mutua cunctis
Gratia inest, memorésque ferunt immania corda,
Natura monstrante vices, si denique magnis
Reddendum meritis ius est æquale, nihilque
Non hac lege parens voluit natura teneri,
Quid tibi me debere negem? quid reddere possim
Par tibi Ioannes clarissime? cuius in vlnis
Inque sinu, dominum te sortitique parentem
Creuerunt anni multa super indole nostri.
Anne dabo quicquid fossis effertur Iberis?
Vt videas fuluos vni tibi surgere montes.
An potius quod Calaicis erumpit ab antris,
Et proprioris opes mauis tibi cedere terræ?
Anne Tagi fortasse magis tibi littora nostri
Arrident? auro ridentia littora multo.
Sed nimium vicina damus, faciléque paratu

Commostramus opes, tu longe ascita procúlque
Nata cupis merito, pelagi tu forsan Eoi
Diuitias, aut quod Gange, aut emergit ab Indo
Expectas, atque hinc gratum metiris alumnum.
Scilicet hæc donem largus tibi, scilicet illa
Imperiosus opum iubeam incrementa tuarum
Esse, nihilque negent terræ & maria alta petenti.
Scilicet hæc speras auidus, qui pectus in istud
Virus auaritiæ mixta ambitione, nec vllas
Huc intrare animi sordes permittis, & arcem
Solius virtutis habes, quæ pectore sæpe
Oppugnata alio, sæpe est excussa, dedítque
Sæpe fugam, cessit que loco regnóque coacta.
Quæ cum erraret adhuc delusa, & pectore nullo
Ante experta fidem, nunc hic nunc exul & illic,
In medijs terris, medijs quærebat in vndis
Quas coleret sedes, ad sydera turpe putabat
Ire iterum, & quas ante alijs concesserat astris,
Iam lapsura polis atque huc iam prona cadensque,
Velle domos dubitat, contra stat iusque pudorque.
Illa igitur medias iam se mersura sub vndas,
Cæruleósque aditura choros, largóque natatu
Nereidúmque comes Thetidisque futura per altum,
Liquisset terras olim neglecta, genusque
Humanum, nisi te sed non sine numine natum
Audisset, tenuitque Deam vagitus ituram
Gratior, infantique aliquid diuinius ore
Prodiit, & cælo numen venisse putauit.
Ac non passa moras nutrix vult esse, sibique
Pignus grande capit, diuináque porrigit ori

Vbera, sed niueo miscet cum lacte bibendam
Iustitiam, & puros multo cum nectare mores
Stillat, & arridet tibi dum, libratque sub vlnis,
Laetantem, & roseos inuitat ad oscula vultus
Luctanti trahis ore aliquid, téque illa fefellit,
Hausistique tua longos nutricis amores
Magne puer, sic intrandum parat illa fouetque
Pectus, & olim aditus admissa per oscula quaerit.
Quae nunc hos animat vultus, latéque per artus
Iam diffusa tuos, in adulto pectore viuit
Numen, teque sibi proprium aeternúmque dicauit.
Non tu igitur sitibundus opum, cui pectore tantus
Hospes inest, licet vsque tua miramur in aula,
Phidiacae quodcunque manus potuere, vel arte
Quicquid Apellea potuerunt reddere cerae.
Hic ostrum subsedit humi, calcatur & auri
Mollis honos, aulae luxum putat esse superbae
Forte aliquis, tum mente alia sapientior audes,
Atque ô sic aude, populo calcanda frequenti
Sternere, miramur tacito quae munera vultu.
Sed sunt ista quidem aulae ornamenta prioris,
Pars autem interior, longéque sacratior ista,
Celat Apollineos habitus, atque agmina sacra
Musarum, tibi turba comes, phoebusque deaéque
Esse solent illae, venias quocunque, sequuntur.
Hic igitur positis inter pia numina curis,
Secessu vacuus gaudes ludisque beato,
Discis & hic rerum causas sine nube, deóque
Is certam monstrante viam, terrasque per omnes
Duceris, ille illic docet, & quod prouenit illic,

Ignotámque aperit naturam, & semina rerum.
Non opus vt longè terras, vt littora longè,
Longinquosque maris tractus peregrinus oberres,
Discendique auidus, præsto sunt numina, præsto
Phœbus adest, discisque domi de numine tutus,
Et nullo mentis nulloque errore viarum,
Munus at hoc Phœbi est, faciles dant cætera Musæ.
Hæc docet Astrorum cursus, cœlique rotatus,
Et qua decliuis rapidi patet orbita phœbi
Monstrat, & incerto quæ sint errantia cursu
Sydera, sed fixa nobis errantia tantum
Sede. eadem qua se sublimis iuppiter arce
Tollat, & in partem superos despectet vtranque
Fœlices cœloque vagos, quos æquus amauit
Ipse olim, atque ardens euexit ad æthera virtus
Edocet, éque polis emitti fulmina nunquam:
Ut superis tranquilla quies, turbatáque nunquam
Otia, nec stantes quatiat fragor horridus axes.
Iratum tamen inde Iouem descendere, sontes
Ulturum terras, iaculaturumque tremendum
Fulmen, & obducta sæuire per aëra fronte.
Hunc monet vt timeas, atque vt facis, impiger omni
Et studio & pietate colas virtutis alumnus,
Atque triumphator toties victórque malorum.
Altera sed cultum dulcesque inspirat honores
Eloquii, tingitque insperso singula melle
Verba, putes dulci versari semper in ore
Atticaque in summis habitare examina labris
At te sæpe nouum, magnisque accessibus auctum
Mirabar tacitus, quamuis puer, atque trahebar

Usque magis domini studiis & diuite lingua.
Tu solitus seruare, meus dum pendet ab isto
Vultus, & vsque tua stupefactum voce manere
Ire alio iussum, placuit donec tibi tandem
Admitti puerum, causasque ediscere tanti
Eloquii, Musasque & Phœbum, auditáque longe
Numina, nunc oculis propius propiúsque videre,
Atque quod est sperare nefas, Phœbúmque Deásque
Stare inter, risit quoties mihi Phœbus, & ipse
Arrisi quoties, & docto pollice chordas
Increpuisse dedit, digitos tamen ille regebat.
O quoties summo Phœbeas vertice lauros
Imposuere Deæ, vocémque attollere supra
Humanos voluere modos, dominique sequacem
Esse, licet musis par iam foret ille Deoque.
Hinc, si quas tamen esse putas ad carmina, vires,
Indolis atque mihi venere exordia primæ,
Et domini merui fieri quoque munere vates.
Quid referam nunc ergo tibi? dic vnde volare
Munera nostra cupis, vel quæ tibi gratia cordi est.
Scilicet optabo longa hæc commertia diuûm,
Et tibi cum Musis placidam Phœbóque quietem,
Serus vt hinc abeas ad sydera summa Deorum
Non rudis, agnoscásque iterum diuum ora, polóque
Succedas aliis multò fælicius astrum.
Et cœli hac quoque duos, tua lumina, fratres
Accipias olim, & pulchra iam prole parentes
Hinc videas fratrum similes tibi surgere natos.

DIGRESSUS AB HIERONIMO
Osorio Lusitano

G Rata tua est pietas, nam me sic mitis euntem
Alloquerisque diu, monitisque salubribus armas,
Ut tibi si frater, uel longe dulcior irem
Filius, Eoas mox suspirandus in oras.
Grata tua est pietas, quid enim te gratius vno
Aut melius, cursum vidit mea vita per omnem?
Atque vtinam properata magis consortia tecum,
Ac plures vnà vixissem lætior annos.
Nam quid ab hoc (meminisse libet) non pectore traxi?
Hinc animi lux parua mei tua munera, quódque
Virtutis scintillat adhuc, hinc esse fatemur,
Déque tuis pendent parui, quos sumpsimus, ignes.
Si tamen in nostris etiam nunc moribus vlla
Durities superest, ruditásque inamœna relicta est,
Hoc crimen fortuna tuum, tua culpa, tuúsque
Hic liuor, quæ me cultu non vndique pleno,
Appensúmque operi vixdum, summámque petentem
Ferre manum tandem, cœptis præcidis in ipsis,
Et, scelus ô, tanto properas spoliare magistro.
Ibo igitur, sed te comitem terráque maríque
Cælatum nostris gestabo sensibus, vlli
Nec mihi te venti, surgentésue vndique fluctus,
Ulla nec excutient media discrimina terra.
Et quanquam alloquium vultu fortuna relicto
Abrupisse tuum & viuentia verba videtur,
Inuenta est medicina malo, me quippe sequuntur
Utraque nobilitas, ciues quorum altera tantum,

Altera christicolas titulis melioribus ornat.
Ingenij hæc præclara tui monumenta, tuíque
Nominis æternum decus, & victura per omnes
Annorum series, dum Lusitana subactos
Extremo licet orbe prement iuga longius Indos,
Nascentem & nostrum iunget Phœbúmque cadentem
Imperium, maius Phœbo maiore futurum.
Hoc ego te repetam speculo, uiuéſque, meóque
Supplebo ore tuum, vultus mihi cognitus vsus
Atque habitus gestúsque tui, tua verba sonósque
Voce memor reddam, similíque remetiar ore.
Atque quod his oculis longa interualla negabunt,
Hic tacitus nota mihi consuetudine fingam,
Et solitas studijs comes olim partiar horas.
Nunc ego conantem præstanti dulcius ore
Ac maius Cicerone loqui, nunc legibus artem
Contrahere, & numeris vatem parere putabo.
Sed tua cura minor, labor & tuus iste secundus,
Et curris stadio iamdudum victor in isto.
Illa tibi assiduo teritur magis orbita cursu,
Ad Christum quæ pandit iter, summúmque salutis
Authorem ac rerum dominum, licet ardua, monstrat.
Hic agis hic sudas noctéſque diéſque viator
Insomnis, vigilíque infractus pectora cura.
Sed Paulo duce carpis iter, tibi plurimus ore
Paulus, & illius celer ad vestigia curris.
Macte animo, tantúmque ducem sortite, per omnes
I nunc ergo vias fœlix, tuus ille meúſque
O vtinam, dux ille nihil non nouit, & illi
Hæc via nota magis, cursus bis nanque relegit

Aethereos, fatóque prius semel ardua raptus
Sydera, & immensi vidit spatia vltima cæli.
Nec sic ergo oculos Osori maxime nostros
Effugies, etenim tua dum sic seria voluam
Complectárque animo, credam te semper adesse,
Atque vtinam falli sic me contingat, & istos
In vultu vultus quos nunc abeunte relinquis,
Olim iterum nulla delusus imagine cernam.

ἘΝΎΠΝΙΟΝ AD GEORGIUM Cælium Lusitanum.

Cæli noster amor, Cæli doctißime vatum,
Cæli etiam eloquio multum laudande forensi,
Accipe perpetua de te mea somnia nocte:
Læta quidem nobis, tibi nec non grata, sed ingens
Omen inest visis, voluit tibi nuncius essem
Forsitan ille deus, fato quicunque iubente
Admiscet placido non vana insomnia somno.
Sed somno certamen inest, tu carmine nostro
Prælia, dormitásque vigil nunc accipe pugnas.
Visus eram vidisse hominum, vidiße Deorum
Agmina, molirique minas hic numina, & inde
Imbelles hominum dextras, quando omnia vana
Nec pia verba mouent, tensæ ue ad sydera palmæ
Non Phœbum precibus non duras ante sorores,
Hæc etenim in nostro pugnabant numina somno.
Tu Cæli medius, belli tu caussa futuri
Stare acies inter, non æqualésque phalanges.
Namque animi quanquam maioráque robora diuis

Perdere conatus hominum, vel frangere vires,
Pars hominum rigidis tamen vndique vincta cathenis.
Maior erat, vinctaque manus, tardatáque colla,
Tardatique pedes immani compede tantam
Ad belli molem, victurúmque eminus hostem.
Tu precium victoris eras, te namque volebant
Diique hominesque sibi, cælum hinc, terra inde petebat.
Deberi vatem sibi Phœbus certat, & omnes
Cum Phœbo Musæ, nec se doctásque sorores
In cassum magnis hausisse canalibus vndas,
Quas Helicon, quas Pindus habet, quibus ora tuaque
Frontis adhuc teneræ mulserunt sæpius ignes.
Sudauitque alio non tantum in vate, suaque
Plus nulli Phœbus dedit indulgentior artis.
Pænituitque deum tam largi muneris, & se
Olim maiorem vidit succresse re vatem,
Ergo idem æquari sese, vel denique vinci
Præferrique impune ferat sua munera, sed quæ
Iam sua forte neges, alióque authore profecta
Dixeris, & magnos Phœbi frustrere labores?
Id ne ferant Musæ? tanto quæ gaudet alumno
Turba, placetque sibi, celebri cui carmine sæpe
Victori, totos spoliarunt floribus agros,
Ornaruntque noua victricia tempora lauro.
Ast homines quibus astringunt vel colla cathenæ,
Vel quos sub longa macies tenuauerat vmbra,
Addiderátque situm membris, & carcere longo
Pallentes vultus, & tristia fecerat ora,
Esse suum contra magnis clamoribus omnes
Contendunt, munúsque Iouis, munúsque Deorum:

Quotquot adhuc Phœbum præter Musásque supersunt,
Esse datum clamant, cui vis & maxima fandi
Copia, cui fasces vni mulcere seueros,
Et firmare reos, capitíque auertere pœnas,
Et data crudeles ars propulsare secures.
Nam neque quòd Phœbum numeris fœlicibus anteit,
Non minus est, addunt, noster, fœlicius idem
Explicat eloquium, captiuáque carmina vitae
Dulcior, & campo tandem spatiatus aperto,
Liberat & voces, & lactea verba resoluit.
Hic Phœbus Musæque ineunt certamen, & ecce
Vincuntur miseri, quid enim non numina vincant?
Ac male diffugiunt superis vincentibus illi,
Mortalis quos conditio vicisse negabat.
Te verò rapiunt sibi debita munera Musæ.
Sustinet & Phœbus modò te ceruice leuatum,
Et modò gaudentes alternant pondera Musæ.
Visus et es tandem syluas intrare latentes,
Vnde decem fontes, quibus hinc atque inde coactis
Amnis inundabat, cursu certante fluebant.
Duxi oculos huc vsque meos, me nanque sequentem
Vlterius Musas, inconcessásque latebras
Sectantem, oppositi repressit dextra Phœbi.
Addidit atque minas, sacrum vt nemus ipse prophanus
Vitarem, solus nobiscum huc Cælius, inquit,
Intrat, & hoc tantum gaudet pius ille recessu.
Discussere minæ somnum, rupítque quietem
Ira dei, tu iam sylua vincente latebas.

ENCOMIVM PETRI NANnij Alcmariani.

Lenius erumpat medio qui vertice sacri
P Montis, ad illustres fons ille beatior vsus
Eloquij manat, doctisque exuberat vndis.
Hoc fruar vt solus, vatum vos vndique totas
Nunc fas est, arcete Deæ de gurgite turbas,
Ac differte sitim, dilapsáque flumina nusquam
Ora petant vultúsque meos, vos ducite cursus
Pierides, vos ô labris nunquam inuida nostris
Numina, maiores capto sitientibus haustus.
Nunc mihi non assueta sitis, nanque vror, & intus
Inflammant rapidum maiora incendia pectus.
Vror, at hic meriti est iustissimus ignis amoris,
Nanque amo, quem cuperem multò fœlicius vnum
Pingere, & è nostra spirare benignius arte.
At labor hic magnum certe vicisset Apellem,
Norit vt hic tacitas solers animare figuras,
Vtque fluant viua viuentia corpora dextra,
Atque idem tabula sit fœlicissimus omni.
Non igitur, non vna sitis me torquet, ab vna
Qui face non vror, geminis ast ignibus intus
Ardor agit, puri fax altera crescit amoris,
Altera suscepti curas fax ponderis vrget.
At sitis hæc aliqua sedari nescit ab vnda,
Aestus & hic aliquo nescit mitescere fonte,
Huc licet incerto deflectat Nilus ab ortu,
Ac mihi cum multo creber Tagus affluat auro.
Hos tantum ardores didicit lenire perenni

Fonte Helicon, doctámque sitim scaturigine sacra
Mitigat, vnde bibunt vates solæque sorores.
Hunc ego sed totum cupio, quia largius ille
Hoc de fonte bibit, quem nunc maioribus opto
Decantare modis, cœlóque æquare merentem.
Notus enim cui non vsquam nitidissimus amnis
Eloquii, meus attonitas quo currit in aures
Nannius, & plenas hinc inde assurgit ad oras.
Cui non ille lepos spiratáque pectore virtus,
Et non auditi linguæ fœlicis honores?
Scilicet huic mallent plausus sonuisse forenses,
Laudassétque magis Romanæ curia gentis.
Artifici lachrymis námque hic magis imperat ore,
Atque voluptatem Cicerone disertius ipso
Indulget, meliúsque animos pace implet amica.
Ut rapit, vt stimulis agitat, penitúsque iacentes
Excitat, atque animis nunquam facit otia lætis.
Idem etiam posito mutatus fulmine, quantus
O quantus ruit ad lachrymas, quantóque madentes
Alluit imbre genas, & cùm suspiria tristis
Audiri voluit, gemitúsque sonare, sed artis
Munere, captiui veniunt ad tristia sensus.
Quale sed ô carmen vati furor aureus ædit,
Quam tenerum dant plectra sonum, quam dextera fœlix
Augustum perstringit opus, quo sæpe sorores
Conuenere nouem, sæpe admiratus Apollo
Assidet, ac primum socio modulamine chordas
Carpit & ipse suas, sed mox oblitus & ore
Suspenso stupet, & digitis non sentit inertem
Elabi citharam, vinci dixere sorores

Forsitan, ipse Deum ne quid læsisse viderer,
Quod licuit, dixi, non vult hic vincere Phœbus.
Ille vbi sed longum fidibus cum carmine dulces
Inseruit numeros, opus interpellat, & ecce
Abrumpit totas abrupto carmine mentes.
Ast alios neruis alacris mox implicat orsus,
Dúmque aliena canit vatum monumenta priorum,
Ipse suam alterno sopitam carmine Musam
Tantisper cessare iubet, dum classica pleno
Ore canit, glomerátque acies, ac prælia miscet,
Aeneámque animat rursum, Turnúmque superbum,
Vt pugnas iterum credas spirare Maronem.
Quam timui, me sæpe armis vox miscuit illa,
Aeneámque ducem dum vultu animóque sequebar,
Horrebam, fateor, secla hæc oblitus & annos.
Idem etiam simul in Turnum Rutulósque ferebar
Percitus, & plagas inde accepique dedíque
Feruidus, atque arsi, donec vox illa furentes
Blanda serenauit pugnas, aciésque diremit.
Sed quid ago, nunquam mihi Musa expresserit illud,
Facundo quantus descendat spiritus ore.
Iámque trahor, liquidásque obstant à faucibus vndas
Pierides, reuocántque alios ad flumina vates,
Méque fatigatum cœpti ad primordia tanti
Alliciunt mulcéntque Deæ, rebúsque minorem
Abstinuisse iubent posthac maioribus, intra
Versaríque meas, non vltra tendere vires.

MORBUS FRANCISCI GRATIANI

MUsa mihi calamúsque hæret, nam triste sub imo
Pectore vulnus hiat, vires cui pendimus omnes
Ingenij, riget atra mihi, riget improba vena
Carminis, ac sicco veluti de pumice versus
Exprimitur, video moribundam ac marcescentem,
Si qua mihi forsan fuit olim gratia, siquis
Forte lepos, dixisse elegis, dixisse vel æquo
Carmine, proposita re fœlicissimus olim.
Non secus æstiuo quam cum cœpere calore
Exarêre lacus, quibus hinc atque inde relapsæ
Subsidunt ripæ, ac paruo iam gurgite latè
Alueus exuitur, nudóque in margine tellus
Aret, & abcessu tenuis procul vnda laborat.
Nam mihi cum charo morbus communis amico
Languentes hebetat sensus, vorat improbus omne
Iudicium, vorat ingenij præstantis acumen.
Proinde rudē permitte rudi Francisce, poetam
Carmine, crudelem, miserum, tristémque dolorem
Detegere, in toto nullus mihi carmine cultus,
Nulláque commendent dirum ornamenta dolorem.
Incomptum nam flere decet, numerísque carentem
(Nam nec habent lachrymæ numeros) effundere luctum.
Atque vtinam vt confusa intus mihi turba dolorum
Pectora sollicitat, nullóque sub ordine totos
Confundit sensus, eadem mihi carmen in omnes
Dirueret partes, lachrymísque per omnia mixtos
Turbaret sine lege sonos, sic forte dolori
Indulgens (si quis tamen aduersatur amico)
Placarem superos, ac me cruciatibus istis

Multarem, superis forsan sic ipse litarẽ
Victima, sic fierem pro te grata hostia diuis.
Si tamen iste Deus pluris te forte redemptum
Esse cupit, morbúmque alio putat esse luendum
Supplicio, en adsum membris instructus, in illa
Sæuiat, aut hæc te redimat manus, aut mihi iam te
Restituant toto sine corpore brachia, sæuis
Esse licet superis, hac te mercede libenter
Reddiderint superi, aut si qua est crudelior ista.
Sin sceleris purus, nec te vel culpa, vel vlla
Turpauit labes, ac totis limpidus annis
Vixisti superis gratus, quin ocyus omnes
Auertunt superi morbos? quin liber ab omni
Febre vales æger nunquam? morbísque fugatis
Cur tua non sancta seruantur membra salute,
Ac meritos vexant metuendis ignibus isti
Ardores? etenim pietas tibi debuit esse
Ista patricinio: téque hac tutrice decebat
Incolumem superasse annos, superasse senectam
Non gemitu, tussiue grauem, donec tibi vita
Migrandum foret, ac iam superas matura vocaret
Ad sedes pietas, vt terris functus, & isto
Aere, iam cœlo melius fruerere sereno,
Lucerésque nouum sydus, numénque poetis
Ipse nouum fieres, ac iam tornatius omni
Parte dares carmen, nam sæpe vocatus Apollo,
Sæpe etiam rerum vario sub pondere, durum,
Incomptum, non delectum, non ante paratum
Vatibus affusis sparsit nullo ordine carmen.
Sed pudor hic Phœbi est, hoc Phœbi dedecus, hæc te

Inuidia obscurat, magnóque hic Phœbe periclo.
Vacillat iam fama tibi, noménque labascit.
Nam te terrificum morbis præsentia dicunt
Adferre auxilia, ac nulla non arte politum,
Nosse quid herbarum vires, quid pharmaca poßint.
Nec tantum morbi (fama est) tibi terga dedere,
Ac trepido fugêre gradu, tibi ceßit & Orcus,
Te stygii extimuere lacus, furuáque tremendus
Fronte Charon, cymba sub eodem sæpe gementi
Pondere, sæpe tua iussus dum nauigat arte,
Iam transportatas iterum tibi reddidit vmbras
Feßus, & hunc nulla doluit mercede laborem,
Nunc age quando potes, nisi de te forte vetustas
Mentita est, vanásque tibi dedit impia laudes,
Francisco medicare tuo iam Phœbe, nec artis
Mole opus est tanta, viuit spirátque, sed illum
Morbus habet, morbo, non morti Phœbe medendum est.
Sin properas, atque hunc superis dare sedibus optas,
Consortémque tui iamiam cupis esse laboris
Inuidus, ac terris decus hoc auferre laboras,
Ne trahe nolentem, nec te sic ista fatigent
Munia, perdura, sine maturescere tandem
Inuidiam, & cœlo succedat grandior, & te
Tunc leuet, & curas tunc impartire volenti.

SOTERIA PRO EODEM.

R Omulea stat sacra domus tibi forsan in vrbe
Diua Salus, etenim nulli non Roma deorum
Templa dedit, nulli non relligione vetusta.

Longus honos illic, multisque profectus ab annis
Cultus adest, grati ac memoris domus illa poetæ
Hoc habeat munus, votiuáque carmina seruet.
Nam mihi iam morbo viuit Franciscus abacto,
Ille diu stratis onus, ille doloribus ante
Præda vagis, redeunt vires, totóque venustus
Incipit ore rubor iam passim errare, procúlque
Pallor abit, rident oculi, gaudentque nouarum
Rerum alacres specie, haud epulas fastidia longè
Esse iubent, mensas non auersatur, vt ante
Tristior, ast auido sapiunt iam cuncta palato
Fercula, iam firma est stomachi custodia fidi,
Admissásque dapes non iam ille impune venire
Elabíque impune sinit, vigil vndíque seruit
Iam natura tibi Francisce, en improba vota
Impleuere dei tandem, nostríque misertum est.

GENETHLIACON DOMINI.

Quænam hæc insolito dies nitore
Terras afficit, ac procul vagantem
Sparsit candidius decora Phœbum?
Unde hæc alta quies? silent proterui
Nec tristes hyemes minantur Euri.
Stat tranquilla vadis, nec intumescit
Amissum Thetis haud ferens Achillem.
Nunc tutum celeres fretum carinæ
Sulcant, impauidæ ruentis Austri.
Labuntur placido fluenta cursu,
Non horror scopulis, inhospitæque

Presserunt rabiem, sonósque syrtes.
Hunc sensere diem, nemúsque voce
Implerunt tenera loquaciores,
Dum longum ingeminant melos volucres.
Stat syluis noua gratia, & decoras
In cœlum melius comas dedere,
Stant quæ montibus arbores in altis,
Et tellus facie renidet omni.
Sedati strepitus, procúlque totas
Pax vrbes sociat, nec vlla gentes
Bella, aut arma mouent: sed ecce totæ
Extinctæ inuidia cadente flammæ
Bellorúmque faces, & inde & inde
Iussus finitimos in omne reges
Tempus iungere amor, suíque tandem
Mensura premitur libido regni.
Unde hoc tam subitum decus iacentem
Naturam induit, atque vbique rebus
Personam veluti dedit, nouósque
Vultus? En nihil inuidemus astris,
Si sic ire dies diu beatas
Permittunt superi, nec ista rumpunt
Nobis gaudia, turbidísque miscent
Hoc cœlum nebulis maligniores.
Hæc rursum aurea tempora, & beati
Hoc est principium capútque secli.
Sed quid nam subito deos & aras
Fatorum impediit diu loquaces?
Nil reddunt Tripodes, silétque Phœbus,
Dodonæ nihil arbores loquuntur,

Ast errantibus huc & huc columbis,
Et syluas queritur, Iouémque mutum,
Quicunque hospes adest procul profectus.
Cumarum & Libiæ silentiosum
Numen, iam tacitis stupescit aris.
En vt iam posito decôre sordent,
Hæc quæ numina credidit vetustas,
Hæc quæ numina falsa collocauit
Aris posteritas, ruunt ab altis
Ornamenta tholis, iacétque Diuûm
Grex delapsus humi, Iouémque calcat
Porrectum pede rusticus lutoso.
Est est ergo dies beata, qualem
Dixerunt veteres patres futuram,
Quam toto ore pij canunt prophetæ,
Deceptis fore gentibus saluti.
Christus virginea receptus aluo,
Idem virgineam reliquit aluum
Nunc nunc virginea receptus aluo,
Atque vt sunt veteres patres loquuti,
Hac illum Solymæ die videbunt,
Vel tantum hoc Solymæ nurus beatæ.
O fœlix nimium ô beata tellus,
Cui promissa salus, prior salutis
Authorem videt, ac sinu fouebit
Tantillum hunc hominem Deúmque natum:
Illum, qui superos coercet orbes:
Illum, cui maria alta consilescunt:
Illum, quem solidæ timere terræ,
Humanúmque genus solet tonantem:

Illum Tartarea verentur vmbræ,
Et nutus pauidæ sequuntur omnes:
En quem nec caperent poli, nec omni
Tellus margine: nunc procul potentes
Arctans virginea manus in aluo,
Humanum induitur statum modósque.
O quænam hæc pietas amórque tantus,
Humanis ita condolore rebus,
Hac vt carne velis, velis & isto
Cingi corpore, sordidáque massa,
Sic primam libet expiare labem,
Quæ primum in misero parente sedit,
Ac tu ille, ille polis cadens ab altis,
Humanæ precium venis salutis,
Ut nos putre solum, merasque sordes,
Aeternas meritos subire flammas,
Libertate data trahas sub astra.
O quæ nam hæc pietas amórque tantus?

CALLIMACHI CYRINAEI HYMNI
duo primi, Achille Statio interprete.

Hymnus in Iouem.

QUid melius Ioue libantes cantabimus vno?
Sēper enim magnus Deus est, rex semper et idē
Terrigenûm expulsor, iuris cœlestibus author.
Dictæumne Iouem dicam, dicamne Licæum?
Hic mihi mens hæret, quoniam genus est incertum.
Iuppiter Idæis natum te in montibus aiunt,
Te quoque in Arcadia, quinam pater optime fallunt?

Semper mendaces Cretes, tibi namque sepulchrum
Fecerunt Cretes, sed tu non mortuus, atqui
Semper es, & te in Parrhasia Rhea protulit, illic
Mons vbi erat dumis obtectior, inde locúsque
Ille sacer, quem si partus amor vllus habendi est,
Fœmina nulla subit, non reptile quicquid, at illum
Antiquum dixere Rheæ lectum Apidanei.
Te tamen vt primum finibus dea protulit amplis,
Torrentem lymphæ subitò quærebat, vt illo
Ablueret sordes partus, corpúsque tenellum.
Haud sed adhuc Ladon effluxerat, haud Erymanthus
Candidus ante alios, omnísque in aquosa manebat
Arcadia, at magnis eadem memoranda fluentis
Continuo, postquam zonam Rhea soluerat, illic
Plurima qua fluuius quondam dumeta superne
Implicuit, currúsque Meles tulit abditus olim.
Tunc supra humentem Cariona subter euntem
Lustra sibi posuere feræ, tunc & pedes ibat
Vir supra Cratem sitiens latúmque Metopen,
Sub pedibus sed tunc vis magna fluebat aquarum.
Dixit at hæc tandem Rhea, cum vicisset egestas,
Chara mihi tellus parias etiam ipsa, tuúsque
Sit melior partus, minimóque premare dolore,
Dixit: déque super Dea tendens brachia, magnum
Percussit montem sceptro, qui fissus in ambas
Tunc partes latè patuit, torrénsque superbo
Gurgite profluxit, corpus quo cum illa lauasset
Tunc tenerum, inuoluit pannis, tradítque ferendum
Illa Nedæ in Cretæ antra, & secreto dat alendum
Ante alias veneranda Nede, quæ tunc aluerunt

Te Nymphæ, ac senior sed post Stygem Philyrenque.
Non leuis est Nymphæ sed reddita gratia, námque
Inde Nedin fluuium dixit dea, plenus at ille
Arcadicæ adlapsus Lepreæ mœnia, Nereo
Miscetur latè, veteríque hoc amne nepotes
Sæpe solent sedare sitim Lycaonidos vrsæ.
At bene Nympha Thenas liquit, téque optima Gnosum
Transtulit, haud longe Thēnæ Gnosúsque remotæ.
Penultimam corripimus quò fidelius interpretaremur. *Hic tibi tum *vmbilicus cecidit pater optime: & inde*
Omphalion veteres agrum dixere Cydones.
Te pater alme Chori Corybantum gestauere,
Dictea & Meliæ, cunis te sopijt aureis
Adrastrea, at tu miratus pinguia capræ es
Vbera Amalthe æ, nam mel tunc dulce vorasti.
Tunc apis hic subito carpentis summa, per Idæ
Visa quidem montes opera, & loca dicta Panacra.
Tunc & ad armatum peditem molimine magno
Collisis saliēre armis Curetes, vt istum
Saturnus sonitum, non te vagire videret.
At bene te mater concepit, te bene Nymphæ
Nutriuere, tibi facies mox pubuit, atque
Non tarda cœpere tegi lanugine malæ.
Quin & adhuc Iuuenis nil non sapienter agebas.
Maiores natu fratres nunquam tibi cœlum
Inuidere, aut parte datum doluere, poëtæ
Haud equidem veteres dixere per omnia verum.
Qui tres Saturno genitis dixere fuisse
Sorte datas sedes: at quis nisi vanus & expers
Mentis, de cœlo haud inferno ducere sortem
Sustineat? de re (vt par est) sors mittitur æqua.

Ast hæc tam variant, quam quæ discrimine summo,
Et patulas aures vatum mendacia fallunt.
Nulla Deum regem sors te, sed maxima dextræ
Facta tuæ, viresque tuæ, robúrque, quod ipse
Haud procul esse tua voluisti à sede, crearunt.
Quin ostentorum facis vt sublime tuorum
Nuncius ales eat, quæ da mihi fausta meísque.
Et tibi lecta hominum sunt optima, non tibi nauis
Aut vector, Clipeiue scius lectusue poeta,
Sed das hæc diuis curanda minoribus ipse,
Illa alijs, at tu proceresque vrbisque regentes
Legisti, quibus agricolæ cum milite subsunt,
Et remex, & cuncta, etenim sub principe quid non?
Dein Vulcanus habet, quibus æra excudere curæ est,
Milite Mars gaudet, celeri tunicata Diana
Venatore, lyra Phœbus, doctísque poetis.
Ex Ioue sunt reges, queis nil diuinius vsquam.
Ille sibi tantum delecto hoc ordine gaudet,
Hos tu vrbes seruare iubes, hos ipse locasti
Arcibus in summis, spectas vnde arduus, ille vt
Imperat obliquis, at rectis legibus ille.
Fudistíque his author opes, satis atque beasti
Ipse omnes, sed non ex æquo, hoc ipse vel vno
Nostro rege probem, late hic progressus in orbem est.
Perficiet, si mane aliquid mens cogitet, orto
Vespere, magna quidem sub vespere, parua sed idem
Ocyus, & tenui non in re tardior hæret.
Ast alij hæc anno facient, at pluribus illa:
Prendere quos rerum prohibes fastigia, & iisdem
Ingenii attenuas non tam fœlicis acumen.

Aut vector, sic interpretor τὸν ἐμπέραμον siue ἐμπόρον authore et interprete Porphyrio initio quæstionum Homericarum.

Salue Saturni proles, ac summe bonorum
Author, & innocuæ mentis dator, an tua quisquam
Facta canat? nemo acta Iouis cecinitue canétue.
Salue magne pater, rursum salue, atque benignus
Virtutem largire & opes, nam tollere quenquam
Haud vacuæ virtutis opes potuere, nec ipsa
Virtus nuda opibus, virtutem confer opésque.

IN APOLLINEM.

O quantum lauri tremuere cacumina, quantum
Tota domus Phœbi: procul ò procul este prophani.
Vt subito pepulit fausto pede limina Phœbus,
Nonne vides? subito nutauit Delia palma,
Suaue sub aduentum modulatur in aëre cygnus.
Vos obices, & claustra procul iam tollite vates,
Huc claues, Deus ecce Deus, iam cominus astat,
Inque choros agedum Iuuenes deducite carmen.
Non cernunt Phœbum, nisi lumina casta piorum.
O quantum est vidisse Deum, quantúmque dolendum
Non viso caruisse Deo, tua numina Phœbe
Mortales visus da tantum haurire, nec vnquam
Plebeiæ post sortis ero, res absona plectris
O pueri, aduentante Deo, vel calce silere,
Seu barbam ponis, vel adis maritalia iura,
Erigis Argiuo murum seu forsan in aruo,
Nunquam muta Chelis pueris (mirabile dictu)
Excipite ô grato Phœbum pueri, vndique versu.
Stat placidum latè vobis cantantibus æquor,
Miratúrque silens Cytharámque, arcúsque decoros
Arma Dei. Thetis ipsa suum non luget Achillem,
Cum dat ie paan ie paan turba canorum,

Quin lachrymosus adhac differt lapis ille dolores,
Obriguit Phrygijs nitidus qui montibus olim,
Fœmineos et adhuc imitantur marmora luctus.
Ie dicite ie, cum Dijs contendere turpe est,
Ille meo pugnet regi, qui Dijs quoque pugnet,
Qui cum rege meo, cum ipso hic quoque Apolline pugnet.
Quin si grata chorus cantet, donabit Apollo
Præmia, (námque potest), patri quia gratus & ipse est.
Non Phœbum Chorus ipse die cantauerit vna,
Ille hymnis est ampla seges, cantatur in altis
Montibus, aurea sunt Phœbo omnia, vestis, & ora,
Atque lyra, & neruus quoque lictius, atquę pharetra,
Aurea sunt etiam talaria, plurimus auro
Vastator Phœbus, nam Pytho cæsus ab illo est.
Semper adhac pubet, semper formosus Apollo est,
Obduxítque genas nunquam lanugo tenellas.
In campos manant oleo bene olente capilli,
Nam coma pingue nihil distillat Apollinis alta,
Ipsam sed Panacen, & in vrbe vbi decidit ille
In terram ros, immortalia cuncta fuerunt.
Artem habet haud vnam, nemo arcu, quantus Apollo.
Huic seruare datum est vates, arcúsque peritos,
Sunt arcus etiam Phœbo, sunt carmina curæ.
Huic sacri vates, sortis quoque calculus huius.
A Phœbo medici mortem didicere morari.
Quin pastoralem Phœbum cantamus, ab illo
Tempore, ad Amphrysum quo nutriuisse iugales
Dicitur, Admeti correptus cælibis igne.
Plus herbæ sed sponte dabant bubosia, capræ
Cum bobus, fætu nunquam caruere, quibus tum

Ille oculos blande intentebat,vos neque lacte
Nec fœtu caruistis oues,sed cuíque tenelli,
Quæque erat vnipara,hæc eadem iam bipara rursum.
Tum Phœbi auspicijs vrbes & mœnia celsa
Signauere viri,gaudet namque vrbibus ille
Erectis,ipse hic Phœbus fundamina ponit.
Quæ primum posuit,non maior quattuor annis,
In pulchra ortygia,longè haud lacus vnde rotundus.
Cornua caprarum semper venata ferebat
Cynthiadum Diana, quibus hic texuit aram.
Hæc primum didicit fundamina ponere Phœbus.
Cornibus ille quidem fundamina,cornibus aram
Implicuit,muróſque erexit cornibus altos.
Ille meam extremis positam iam finibus orbis,
Vrbem prædixit Batto,populóque benigno
Intranti Lybiam dux extitit omine coruus.
O fœlix operum structor,qui mœnia nostris
Pollicitus dare principibus,nunquam irrita iuras.
Ipse Boëdromius multis,ô Phœbe,vocaris
A multis Clarius,non nomen Apollinis vnum.
Rursum ego Carneum te,gentile hoc mihi namque est:
Sparta tibi est sedes Carnee ante omnia prima:
Altera sed There,post hæc vrbs ipsa Cirene.
Ex Sparta sed te sextum genus Oedipodarum
Detulit in Theren,ex There deinde locauit
Sanus Aristoteles translatum Abestide terra.
Struxit vbi egregium tibi templum,deinde quotannis
Festa tibi statuit,multi in quibus ô tibi princeps
In femur è magno ceciderunt vulnere tauri.
Ie ie vario Carneæ ô nomine,flores

Vere tibi tua sancta ferunt altaria, quos quos
Producunt horæ zephyro spirante liquores.
Dura crocum dat hyems suauem, tibi peruigil ignis,
Hesterníque cinis nunquam carbone diei
Pascitur, ô quantum gaudet, cùm bellica saltat
Turba virûm, Lybiæ fuluis cum matribus, vnà
Legitimæ quibus assistunt Carnæades horæ.
Non poterant Cyres propius contingere fontem
Dores adhuc, densam syluis sed Azilin habebant.
Vidit at hos, Nymphæque suæ monstrauit Apollo
Myrtusæ insistens super ardua cornua, vbi illa
Armenta Euripyli vastantem celsa Leonem
Sustulit, haud Phœbo locus est diuinior illo,
Non vrbes alias plusquam beat ille Cyrenem.
Harpax primus amor Phœbi, nullúmque putarunt
Battiadæ diuum Phœbo magis esse colendum.
Hinc & ie geminatur & hinc, námque extitit olim
Delphicus inuentor populus modulaminis huius.
Aurato docuit cùm mittere primus ab arcu
Spicula, cui Pytho monstrum mirabile, serpens
Terrificus nocuit nascenti, hunc Phœbe necasti,
Atque alia atque alia eiaculatus spicula, & omnis
Dixit ie populus tendenti, nanque iuuasti
Mox de matre cadens, ignotum hoc tempore ab illo est,
Dixit enim Momus subiens ad Apollinis aures,
Non miror vatem, qui non maris omnia monstra
Cantat, at hunc Phœbus calcans pede, talia dixit:
Maximus Assyriæ fluuius purgamina terræ
Multa trahit, mixtæque fluunt cum sordibus vndæ.
Non apis ex quocunque suos tulit amne liquores,

Sed nitida ac tenuis si qua ex scaturigine sacra
Gutta cadit, cunctis multo pretiosior vndis:
Nunc salue princeps, Momúsque agat, est vbi liuor.

FINIS.

Errata.

fol. 4. secunda facie ver. 3. Clitiphonta, pro clitophonta.
fol. 6. secunda facie ver, 2. pro clarissime charissime.
folio 11. facie secunda ver. 15. pro munera, pignora.
fol. 16. secunda facie ver. 20. pro Cyrinei. Cyrenei.

PARISIIS.
EXCVDEBAT THOMAS
RICHARDVS.
M. D. XLIX.